

R. 29482

ORATIO

PRO SOLENNI STUDIORUM APERTIONE

IN

REG. OVET. UNIVERSIT. CORAM EJUSDEM

DD. ET MM.

DICTA

A R. P. M. FR. EMMAN. DE CASO SUBST. CATH.

SACRÆ SCRIPTURÆ

ORATORIÆ SACRÆ, ET FORENSIS ACADEMIÆ.

MODERATORE.

XV. KAL. NOV. ANNI. M.DCCCXXVII.

OVETI.

Aput Typogr. Viduæ de Prieto.

lib. 547691



*Sine studio et ardore quodam amoris
in vita nihil quidquam fit egregium.*

Cic. 1.^o de oratore.

Sine studio, et ardore quodam amoris in vita nihil quidquam fit egregium, aiebat Cicero 1.^o de Oratore. Hac idea permotus. AA. PP. Venerande Senatus, Facultatum omnium Alunni, cæterique adstantes: hac idea permotus, quam quotidiana experientiâ, sensusque testatur intimus, ut vestrum omnium animos ad scientiarum acquisitionem alluciam, illarum amorem vobis suggerere agrediar, sic muneri meo satisfaciens hac tertia vice qua pro solenni studiorum inauguratione sermonem meum ad vos dirigere oportet. Jam vero ut hunc ardorem amoris vobis suggeram, haud meliori pacto, meo iudicio, me expediam, viros alloquens Religionis amantes, quam ubi ostendero Religionis, et scientiarum arctissima vincula; semper scilicet Christianam Religionem scientiarum asylum fuisse, vicissimque scientias Religionis propagandæ, conservandæ, et ab injuriis inimicorum vindicandæ inservisse. Injurius merito vobis crederer si dubitarem vel minimum de vestro erga Christianam Religionem, in qua educati sumus, studio, et amore. Hic autem amor augebitur quam maxime, intendeturque, cum videritis scientiarum quas colitis, Religionem asylum semper fuisse, præsidiumque munitissimum, insimulque scientiarum amor inerescet, quæ Religionis, quæ vobis cordi est, dilatandæ, conservandæ, et propagandæ tantopere deserviunt. Quis enim libenter, alacriterque non atrectet arma, quibus hostes sternere, et profligare possit, et illorum ictus retundere?

Hoc pacto satis me facturum arbitror consiliis novissimæ studiorum Legis, quæ quotannis hujusmodi elucidationem præscribit, votisque nostri catholici Regis (quem Deus diu incolumem servet) qui inter scientias, quibus in his Licæis operam impendimus, Religionis scientiam huad omittendam censuit. Utinam ingenii vires, eruditionisque copia supetereut, ut quod proposui, pro merito elucidare possem! Utinam Religionem sanctam ostendere vobis valerem ut Matrem amantissimam, scientias omnes in sinu suo foventem: scientiasque illam ut Matrem, et Altricem venerantes, ipsiusque honorem, et gloriam filiali veluti pietate zelantes! Sed benignitas vestra et atentio, quam vultu proditis, mihi animum addit, et spero non tam ad dicendi modum, quam ad id quod dixero, attentionem præstituros.

(4)

Spectemus itaque Religionem sanctam asilum scientiarum perpetuum. Et antequam facta et testimonia illud comprobantia exponamus, audiamus ideam, quam libri divinitus inspirati nobis suggerunt de huiusmodi scientiis, et cognitionibus. Autores Sacri, non minus quam profani sapientiæ nomine omnes cognitiones utiles comprehenderunt. Itaque, beatus homo, inquit Proverbiorum Autor, beatus homo, qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio ejus negociatione argenti et auri primi, et purissimi fructus ejus. Pretiosior est cunctis upibus, et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ, et gloria. Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus illius pacificæ. Lignum vitæ est his qui apprehenderit eam, et qui tenuerit eam, beatus. Dubitare merito possumus Autorem profanum aliquem elogium Philosophiæ adeo splendidum et magnificentum protulisse. Centies in libro Sapientiæ repetitur, et in Ecclesiastico, qui non est nisi continua ad sapientiam adhortatio. Quam graphice, eleganterque studiosi et sapientis viri officium describit, cunctisque cognitionibus illum instructum exhibet, inquiens quod sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens et in Prophetis vacabit: quod narrationem virorum nominatorum conservabit, et in versutias parabolarum simul introibit: quod ocnla proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conversabitur: quod in terram alienigenarum gentium pertransiet, bonaque atque mala in hominibus tentavit, reliquaque, quæ ibidem videre est.

Notare quidem debemus hos sacros scriptores magnam curam, sollicitudinemque monstrare ut nos moneant sapientiam donum Cœli esse, Deum esse scientiarum dominum, Deum, qui docet hominem scientiam. De cœtero ubique in sacris litteris magna reperiuntur scientiarum encomia; et si Ecclesiastes capitibus 1.º et 2.º parvi facere videtur studia, et cognitiones humanas, quis ambigat quod abusus imbecillorum, qui illas acquisiverunt? Qui docti fuerint dicitur Dan. 3. v. 3. qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor Firmamenti, et qui ad justitiam erudiant multos quasi stellæ in perpetuas æternitates. Daniel ipsemet ob suarum cognitionum præcellentiam nonne favorem, et æstimationem Babiloniorum Regum sibi conciliavit, gentique suæ utiliter inservivit? Dominus noster Jesus Christus inquit, quod in regna

(5)

Cœlorum, hoc est in Ecclesia, Sapiens Doctor similis est homini Patrifamilias, qui in filios distribuit thesauros, quos collegit. Cumque ignorantes, et rudes ad Evangelium predicandum assumpsit, ostendere solum voluit se humanis auxiliis non indigere, promittens illis ad tantum opus perficiendum lumina supernaturalia et dona Spiritus Sancti. Ipsemet Christus Dominus Judæos obstupefaciebat suarum lectionum sublimitate, et sapientia, quamquam litteras non didicisset. Cum Paulus Philosophiam, Græcorumque sapientiam redarguit, abusus considerabat, quos in sapientiam Philosophi invexerant, consiliumque revelabat Providentiæ, ut homines illiteratos adhiberet ad sapientiam sæculi confundendam; attamen cum aliqui meritum suorum sermonum voluerunt deprimere illos observare facit quod si verborum lenocinia dedignabatur, non ideo ignorantia incusandus erat seque dicit imperitum sermone, sed non scientia. Ipsemet vult Episcopum talentum docendi habentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, et ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere.

Christiana itaque Religio tantum abest ut sectatores suos à studiis litterarum avertat, quin potius novum illis motivum offert scientiis et litteris vacandi, necessitatem scilicet Philosophos et incredulos confutandi, et desiderium illos ad meliorem frugem, ad fidem convertendi.

Itaque à secundo sæculo Justinus, Tatianus, Athenagoras, Hermias aliique, quorum plurima opera perierunt: in tertio clemens Alexandrinus, Origenes, illiusque discipuli in suis scriptis vastam, amplamque scientiarum, et omnigenæ eruditionis copiam ostenderunt in Philosophia, in Historia, et in schola Alexandrina Pantæni, Hieraple, et Ammonii loco sussecti sunt, celebrem illam suis lectionibus reddentes. In quarto Athanasius, Basilus, hinc Gregorii Nazianzenus, Nisenusque, Arnobuis, Lactantius nonne habitæ fuerunt ut celebriores oratores, clarioresque scriptores illius temporis? Quintum sæculum fertilius adhuc fuit magno virorum, nullusque illorum temporum profanus Autor illos coæquavit. Notissimum, et pervulgatum est Julianum Imperatorem Ecclesiæ, ac Religionis hostem infensissimum prohibuisse Christianis scholas frequentare, litterasve docere invidia in splendorem, et gloriam, quam super Religione Christiana diffundebant illius Doctorum ingenia. Hi homi-

(6)

nes, aiebat, propriis nos armis insectantur, bellumque faciunt, ad idque nostris Autoribus utuntur. Morte quidem hujus nefandi Apostatae inutilis devenit hujusmodi tyrandis actus, humanarumque litterarum studium simul cum sacrarum scripturarum lectione excultum est, id ad quod hortantur Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 1.^o cap. 2.^o Basilus Epist. 175. ad Magnem, Hieronimus Epist. ad Neptorianum aliique scriptores clarissimi.

Lumina isthac per Europam, Asiam, et Africam irradiantia quinto saeculo absdubio incrementa habuissent successiva, ni quadam subita revolutione Europae facies immutata fuisset. Barbarorum examina ex vastis plagis septentrionalium regionibus erumpentia Europam, Asiamque sucesive vastarunt, scientiarum et artium monumenta destruxerunt, et desolationem ubique induxerunt. Per plura saecula illorum strages visae sunt, neque finem habuerunt, nisi cum Christiana Religio in ipsis plagis septentrionalibus praedicata, et recepta est. Sancta haec Religio hujusmodi incursibus, et ictibus succumbere debuisset, nisi Deus illam sustineret. Et quod notatu dignissimum est, nostramque thesim firmat, est, quod in ejusdem Religionis sinu remedia parata sunt, quibus Divina Providentia tantum malum sucesu temporis reparare volebat.

Nam ut tot tantisque malis se eriperent, multi vitam monasticam amplexati sunt, tempus suum labori manuum, orationi, et studio impendentes: asservantes, et transcribentes libros qui adhuc supererant. Insuper Ecclesiastici viri studio litterarum ratione sui status addicti speciem aliquam scientiarum tenuere. Nomen clerici, et Litterati synonymum devenit. Latinum idioma, quamvis a primaeva puritate plurimum distans, in Divinis officiis, et libris Ecclesiasticis conservatum est, Scholaeque hujus idiomatis semper in Ecclesiis, et in Monasteriis extiterunt.

Ad haec indubitata testimonia, quis non stomachetur, recentiores criticos audiens, qui latinum idioma Religione corruptum, adulteratumque criminantur? Quasi vero Christiana Religio Barbaras Gentes ex suis plagis prodire fecerit, suamque barbariam Latino, Romanoque idiomati in miscere! Conqueruntur alii studia nostra nostrarumque institutionum majorem partem genium, et indolem monasticam praesferre; sed haec facti probatio est quod asserimus: Clericos


(7)

videlicet, et Monachos litteras, et scientias e naufragio liberasse. Clerici juris Romani, et Medicinae etiam studio incumbere debuerunt. Nobiles siquidem armorum professioni incumbentes studium, ut notam plebejae, et vilis conditionis inspiciebant; servi vero libertatem scientiis vacandi non habebant. Haecque est origo privilegiorum, jurisdictionum temporalium, et praerogativarum, quae clero concessae sunt. Nun de origine tam nobili est cur erubescamus? Clerici, et Ecclesiastici viri fuerunt unicum populorum refugium in illis calamitosis temporibus.

Cum Universitates saeculo undecimo et duodecimo erigaeperunt, Clerici Cathedras, caeteraque munia obtinuerunt. Institutiones isthac consideratae fuerunt de Religionis actus, qui sub autoritate supremi Ecclesiae capituli fieri debebant non minus quam Autoritate Civilis Reginis. Cum Gerzonem videmus Parisiensem Cancellarium curam minorum scholarum ex charitate assumere, agnoscitur facile solam Religionem zelum hujusmodi pro instructione rudium, et ignorantum inspirare posse. Priorum saeculorum Patres ejusmodi zeli exempla praestiterant, quod certe sectatores non habuit apud Philisophos, neque habebit unquam apud nostros recentiores adversarios. Econtra isti non ad instructionem, sed ad simplicium, et ignorantium corruptionem libellos conficiunt, et divendunt, quod magis in dies necessarium facit zelum piorum, et doctorum virorum ad has tenebras lumine veritatis, solidaeque scientiae dispellendas.

Sed ulterius progrediamur: Poesis ab origine sua ad celebrandam Divinitatem erat consecrata. Barbaris in saeculis suum retinuit institutum. Hinnorum, Psalmorumque cantus paesemper fuerunt Divinorum officiorum. In Regnorum comitiis Regibus coram, et populo, Episcoporum, et Abbatum erat proferre sermonem, ut potequi soli ex statu suo, et munere conciones de Religione ad populum habere debebant. Fulberti, et Ivonis Carnotensis sermones, sicuti et Bernardi, et Anselmi non sunt adeo praestantes, sicut Basilii, et Chrisostomi: sed numquid non in eis observantur ingenii lumina, et magna eruditionis Sacrarum Scripturarum copia: Divinae illius scaturiginis, que semper suggerit cogitationum, et idearum elevationem, sensuum sublimitatem, verborumque, et expresionum nobilitatem?

Romae praesertim cura summorum Ecclesiae Praesulum studia



(8)

perseverarunt, novumque in dies robur acceperunt. Ex hac orbis Christiani Metropoli Carolus Magnus Magistros accersivit, ut in suo Imperio culturam litterarum restitueret. Alcuinus, cujus lectiones audierat, Romae studia susceperat. Religio Christiana communicationem necessariam fovebat inter Apostolicam Sedem, et alias orbis Catholici Ecclesias. Amulationes, ambitio, genius opresor Dominorum, et Toparcharum, qui Europam in servitutem redegerant, omne commercium inter Europae incolas interclusisset, nisi Religio inter illos communicationem, et vincula quaedam societatis retineret.

Hodie fasuosa et praesumptuosa ignorantia Philosophiae nomine decorata in Romanorum Pontificum dominationem debachatur, nolens agnoscere, quod haec non solum fuit necessarius circumstantiarum effectus, sed insuper unicum, et praecipuum medium, quo a barbarie liberati sumus. Eiarum institutionum multitudinem acriter insectantur, et oblivisci afficiant, quod per longa tempora fuerunt unicum medium infelicis, et egenos sublevandi. Monasteriorum divitiae torvis oculis adspiciuntur, eo quod ignorant, et oblivisci amant, quod per plura saecula unicum pauperum auxilium existerunt. Funesta consecraria Bellorum Terrae Sanctae, seu Cruciatarum recriminantur, et tamen ab hac Epocha ducere debemus libertatis civilis initium, sicuti et commercii, et civilizationis nostrarum Regionum, et extunc Turcarum potentia terribilis esse desiit. Quod ultra? Zelum ipsum Missionariorum, qui Evangelii lumen ad infideles, proculque dissitas Nationes portarunt, vitio vertere impudenter voluerunt, nolentes agnoscere, quod hi Apostolici viri plus omnibus inservierunt ut notitiam haberemus longinquarum Regionum. Verbo dicam: ex perverbia stupida plena increduli hodierni Religionem exosam reddere volunt, ipsismet auxiliis abutentes, quibus illos instruxit, ut suarum spliceram cognitionum dilatarent, extenderentque; quod perinde est, ut hac utar comparatione, ac si manus sicca, et arida a medico celesti curata in medicum verteretur.

Ajunt etiam quod Christiana Religio, quin homines ad studia Naturae, Moralis, Politices, et Legislationis alliciat, solum illos occupat in frivolis, ita blasphemantur, in frivolis de Religione disputationibus. Ad quod respondere im-

(9)

primis valeamus, non ob illam causam in Religionem furorem impietatis exserere, nisi quod videantur hujusce Religionis defensores, et vincices tot armis instructos ad illos debellandos. Vellent impune sua delicta dividere, sed facere id nequeunt, eo quod in Religione Christiana satis superque luminis est ad illorum errores detegendos, et confutandos. Nollent nos laqueo instructos esse in Naturae Studiis, in Morali, in Politica ipsamet. En bonam fidem recriminationum, quibus in Christianam Religionem involucuntur! Sed esto, quod Religio nos occupet in disputationibus de Deo, et Divinis attributis, et his similibus. Absque hujusmodi notionibus homines incapaces adhuc forent alicujus studii, et penitus stupidi. Philosophia ab incunabulis nonne initium habuit ex investigationibus de Prima Causa, de Providentiae aconomia, de natura, et fine creaturarum ratione uterium? Proferrine in medium poterit Natio aliqua, quae Religione destituta studia coluerit? Nationes, quae Christianae non sunt, progressusne uberiores in studiis, quam nos, fecerunt? Postquam Religionem hanc abjuraverunt, quae illam coluerant prius, Moralem, et Legislationem ad perfectionem adduxerunt?

En facta, et testimonia, in quae semper impingunt, evanescentque incredulorum conjectura, et ratiocinationes frivola. Populi, qui nunquam fuerunt Christianam Religionem secuti, in barbarie adhuc sepulti jacent. Omnes fuerunt civilizati, postquam Religionem hanc amplexati sunt. Et qui illam abjuraverunt, fuerunt in pristinam barbariem reiiapti. Ubiam nunc reperuntur Graeciae, Africae, et Asiae praecelara lumina, et ingenia? Clima idem adhuc permanet: Religio solum immutata est. Subjacent Domitio Tiranico, quod non minus scientias, quam Religionem persequitur et insectatur.

Diligamus itaque, veneremur et amemus Religionem, quae scientiis adeo favet, illarumque semper fuit asilum, presidiumque munitissimum. Lux non nisi tenebris inimica est, et Religio, quae tota lux est, hominibus scientiarum amico fœdare consociatur.

Sed et scientiae quantopere Religionem inservierunt! Dicuntur est ad iuvitio homines sine litteris Evangelium annunciasse, quoniam consilium erat Divinae Providentiae sapientiam sapientum confundere, et prudentiam prudentum reprobare.

utendō instrumentis minus in speciem proporcionatis, quæ infirma sunt mundi eligendo, et ignobilia, et contemptibilia, et ea, que non sunt ut ea que sunt destrueret, ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus: nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Attamen ipsemet Deus, qui Ecclesiam miraculose plantare volebat, decreverat etiam in ea futuros esse Apostolos, Profetas, Evangelistas, Pastores denique, ac Doctores, quorum sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere: qui denique parati semper sint reddere rationem ejus, quæ in nobis est, spei. Quomodo autem id fieri poterit, postquam miraculorum donum tam frequens esse desiit, sine scientiarum auxilio, sine Theologia, seu sapientia, qua fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur? Quomodo autem Theologus munus suum perfecte obire poterit, nisi errores hæreticorum noscat, et modum illos impugnandi? Et cum prope infiniti sint errores, et in tot anfractibus et ambagibus Ecclesiæ hostes subdoli suum virus occultare voluerint, in quot disquisitiones divagetur necesse est?

Hinc ab Ecclesiæ incunabilis tot viri extiterunt scientiarum amantes, quique illas necessarias crediderunt ad hæreticos debellandos. Nullam autem esse scientiam, quæ ad id non inserviat, notissimum est: maxime cum nullum sit genus cognitionum, quo Ecclesiæ hostes non abutantur ad simplices decipiendos. Omnes scientiæ ancillæ sunt Theologiæ. Theologiæque veræ, et solidæ instructi illas ut arma habent, adhibent que ad fidem firmandam, ad Religionem propagandam, ad mores corrigendos, ad pacem etiam, et Republicæ utilitatem tuendam.

Ecclesiæ Doctores in Evangelio sal terræ, et lux mundi cognominantur. Porro, si ut sal terræ esse possint, vitam debent habere irreprehensibilem, ut possint esse lux mundi, debent scientiis instrui, ut alios queant illuminare. Tam doctrina, quam vita clarere debet Ecclesiasticus Doctor, nam doctrina sine vita, arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit. Jam vero doctrina, et vita claruisse Ecclesiæ Patres quis negaverit? Doctrinaque, et vita clarere etiam nunc quamplures, qui hoc pacto fideles confirmant, ignorantibus instruunt, verbum Dei, et Evangelii lucem ad Nationes etiam procul dissitas ferunt? Nec indecens illis visum

est humanis litteris imbuti, profanisve scientiis, quoties id necessarium iudicent ad incredulos in silentium, redigendos: defensionis mediâ variantes, sicuti mediâ oppugnationis nostrorum dogmatum variata sunt, et variantur quotidie.

Quapropter cum Ecclesiæ hostes cognitionibus naturalibus abutantur ad fidem obruendam, cognitiones omnes naturales Doctores Ecclesiasticos habere convenientissimum est. Nam Philosophia, et omni disputandi ratione sublata, cum fide sancta rusticitas manet, quæ, ut Hieronymus ad Paulinum scribit, quantum prodest vitæ merito, tantum simplicitate nocet, si adversariis non resistat. Humanæ quælibet scientiæ tanquam ancillæ, inquit Canus, ad arcem, et ministerium veræ sapientiæ advocantur, utilesque sunt.

Etsi uilissimæ non forent, cur hæretici tam acriter illas insectarentur? Tolle Thomam, ajebat illorum unus, et dissipabo Ecclesiam. Quare Witembergenses quotquot Scholasticæ Theologiæ libros invenerunt, publico tradiderunt rogo? Mente haud disimili ut Ecclesiam extinguerent, qua olim Gentiles Synagogam excindere cupientes, sacros codices combusserunt. Quos omnes veritas Divinæ assistentiæ erga Synagogam, et Ecclesiam irrisit, et potentia fregit. Quapropter omnes Legis codices haud combussit manus persequentis, neque Legem obire finem, nisi ad tempus statutum, permisit Deus. Pro Ecclesia vero Christi sponsa specialissima semper affulsit Sponsi cura eradicans errorum zizaniam, quam inimicus homo seminare non desiuit. Ille qui acinctus potentia infernum confregit, portas ejus haud prævalituras prælinivit, obtinuitque.

Sed obtinere per continua miracula non opus erat. Apostoli, qui suæ misionis veritatem miraculis comprobabant, aliis argumentis non indigebant. Sed Deus idem auxilium illorum successibus non promiserat. Hi tenentur Philosophos, et incredulos propriis illorum armis persequi, et eliminare. Hinc Philosophiæ necessitas, omniumque scientiarum. Nulla equidem scientia theologo extranea esse debet.

Non solum nosse opus est, quo pacto revelata dogmata fuerint ab Hæreticis oppugnata, et à SS. PP. vindicata: non solum opus est Historiæ Ecclesiasticæ, et Hæresum notionem habere, quæ successu temporis subortæ sunt: non solum familiaris nobis esse debet, sacrarum scripturarum, Sanctorumque Patrum lectio. Cum hodierni increduli nova arma

quæsierint in Annalibus populorum, et in profanorum Auctorum scriptis, necessarium devenit omnia hæc prætensa testimonia scrutari, illorum valorem, et vim perpendere, illaque testimoniis sacrorum Scriptorum comparare. Et qui laborem huic sibi injunxerunt demonstrarunt ad evidentiam hujus generis argumentorum debilitatem. Ut Chronologiam sacram everterent, narrationique Geneseos fidem abnegarent, ad supputationes astronomicas confugerunt; nova tamen hæc tentativa feliciorum exitum non habuit. Falsas omnes Religiones justificare intenderunt cum nostræ Religionis injuria. Sinensium, Indorum, et Zoroastris libros, Mahumetis etiam Alcoranum nostris Sacris Codicibus indigno, et execrando parallelo coæquare voluerunt. Defensores nostræ Sanctæ Religionis coacti sunt omnes has discussiones assumere, neque suis hostibus adhuc manus dedere.

Impræsentiarum, Phisicæ, Naturalis Historiæ Cosmographiæ subsidium implorant. Postquam Cælos interrogarunt, ad terræ viscera descenderunt, ad marium profunditates, ad montium ignem evomentium eruptiones, ut inde prodigiosæ mundi antiquitatis argumenta eruerent, falsitatemque evincerent Cosmographiæ, et Chronologiæ Sacrorum Librorum. Systemata, et conjecturæ omnis generis inventa, et excogitata sunt. Sed Phisici magis sensati, et solertes omnia hæc ædificia frivola demoliti fuerunt, et demonstrarunt quod nunc usque autoritas Sacrorum Librorum infirmata non est, neque unquam infirmari poterit.

Sed quod præcipue valet ad novatores confundendos est Scholastica methodus tam ab ipsis detestata, mireque à sapientibus, et Ecclesia ipsa commendata. Et certe, quomodo non detestarentur methodum, qua singulæ assertiones accuratissime expenduntur; qua cuncta ad trutinam evocantur, qua verborum fucus, et venustate seclusa, quibus lectoribus illudere corantur, sensu, et veritate vacua monstrantur illorum scripta, nihil præter phrasas continentia; et quæ denique Hæreticos, et incredulos insectatur in penitionibus eorum recessibus?

Libentissime in Scholasticæ laudes excurrerem, AA. PP. ni vererem vovis molestus esse. Sed quomodo silentio præteream methodum hanc, qua omnes Theologiæ tractatus in unum corpus doctrinæ, et ad unum systema rediguntur, et uno veluti obtutu perspiciuntur; in qua notionis præambulæ sequentibus viam aperiant, et sequentes conclusiones priores con-

firmant: methodum, inquam, hanc in nostra Hispania ortum habuisse?

Ineunte sæculo septimo, et antequam Damascenus suos de Fide orthodoxa libros conscriberet,veniunt tres libri sententiarum ex Patribus descriptarum à Divo Isidoro Hispanensi compositi, cui primatus proinde tribui potest inter sententiarum collectores. Eodem mediante sæculo Taju Episcopus Casaragustanus alteram sententiarum collectionem confecit, quinque libris coalescentem, quæ typis edita fuit à Continuatore Hispaniæ sacræ sæculo proxime elapso ad finem vergente. De hoc opere, seu de hac Taji collectione memorari libet verba Quirici Barchinonensis Episcopi ita ad illum rescribentis. O vere terræ sal, quo præcordia nostra, ne possint sæculi erroribus vanescere, conduntur. O lucerna super candelabrum posita Ecclesiæ, quæ lumine veritatis irradians, multos à caligine nubili erroris splendido sermone enubilas!

Equidem AA. PP. de Theologia scholastica methodo conscripta elogia plurima congeri valerent. Hujus tam salutariæ scientiæ cognitio et exercitatio semper maximum Ecclesiæ adjumentum afferre potuit, sive ad scripturas vere, et sane interpretandas, sive ad Patres socunius, et utilius perlegendos, sive ad varios errores, et hæreses detegendas.

Quanto igitur magis Hæretici hanc munitissimam Theologiæ Arcem oppugnare conantur, tanto magis nos detet hoc invictum fidei propugnaculum defendere, et hæreditatem Patrum nostrorum conservare, et tueri. Verba sunt Sixti V. Divum Bonaventuram Ecclesiæ Doctoribus annuerantis.

En itaque, AA. PP. scientiarum omnium Alumni dilectissimi, quo pacto scientiæ omnes Religionis famulatum, et obsequium præstent. Christiana Religio illas fovit semper, et é naufragio eripuit, illaque vicissim Religionis splendori, propagationi, et vindicationi inservierunt. Itaque nullus dubito, quin videntes Religionis, et scientiarum arcissima vincula, miram consensionem, foedusque amicissimum, ad illas adipiscendas accingamini, et totis viribus hoc tam divite thesauro ditari concimini: abscondito in agro vepribus forte, spinisque, et tribulis obruto; sed quem vestrorum Magistrorum solertia, claro ingenio, et auxilio adjutis eruere vobis haud erit difficile.

Hoc pacto vobis respondebitis Religionis, et Patriæ, vo-

(14)

tisque Magistrorum vestrorum, qui premium suæ sollicitudinis in vestris progresibus expectant. Diligite sapientiam, diligite Religionem. Ardore quodam amoris in scientias incallescite, certique, et uberes, et egregii fructus vobis abs dubio provenient. Hoc mihi cordi est, et utinam mihi gratulari possim, si meæ cæhortationes vires ingeniorum vestrorum exserere potuerint.

..... Sæpe non irrita currunt
vatum auguria.....

*Sedula jam perge ergo nunc præclara juvenus,
Natura ingenium cui dedit, arsque decus.
Conveniens dum tempus adest, dum occasio præsens
Porrigit intonsas optima fronte comas,
Tende manum presamque tene, ne postea pœnam
Pendas, et teneat te fugiente dolor.
Dumque Magistrorum ductu penetrare Minervæ,
Virtutisque patet non sine honore domus,
Accelera, mora quæque nocet, cape dogmata nostra:
Sic labor, et studium præmia magna dabunt.*

DIXI.

